



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1692**

Caput II. De divisione Juris proprietatis in Re & Rem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)

teri tanquam parti communitatis formaliter, & exigat æqualitatem secundum proportionem Geometricam. *Arist. 5. Eth. c. 3. & 4. S. Tho. l. c.* Justitia demum *vindicativa* est, quæ inclinatur ad puniendum delicta pœnam condignam pro gravitate delicti infligendo, ne nimirum nimia remissione libertas peccandi crescat, neque pœnarum severitas culpæ mensuram excedat. Hæc à cæteris Justitiæ speciebus supra enumeratis adæquatè distinguitur, prout inter cæteros more suo doctè ostendit P. Martinus de Esparza *quest. 22. de virt. justit.* de qua pluribus Theologicum Magistro in 3. Dist. 36. S. Thoma 2. 2. à *quest. 57.* & Philosopho 5. *Eth.* Nobis ad intentum nostrum hæc pauca hic delibasse satis est.

## CAPUT II.

De divisione Juris proprietatis  
in Re, & ad Rem.

*Quid Jus in re seu Reale, & ad rem seu Personale. Quid mixtum. Quid Dominium proprietatis & Jurisdictionis. Quid Imperium merum & mixtum.*

I.



Elebris est Juris proprietatis divisio ex parte objecti in *Jus in Re* & *Jus ad Rem.* *Clem. un. de sequest.*

*quest. & poss. fruct.* Jus in Re est facultas quam quis habet in Re jam sua ne ab altero lædatur; adeoque adhæret rei aut personæ consideratæ ut res, eamque immediatè devinctam habet, ita ut ad quemcunque res, aut persona ut res considerata, devenerit, competat nobis illius vindicatio, ideoq; dicitur *Jus reale l. officium ff. de rei vindic. & parit actionem realem, quæ vocatur rei vindicatio lib. 6. tit. 1. ff.* Ad hoc regulariter tria requiruntur; Primo *existentia rei*, sive illa sit corporalis & tangibilis, ut domus, sive incorporalis & tangi nequeat, ut jus Patronatus, quod consistit in denominatione quadam morali; Nam res non existens nondum est obtenta nec juri devincta, ideoque ad fructus sequenti anno proventuros non habent Ecclesiastici Jus in Re, sed solum ad Rem. Secundo requiritur *Titulus* aliquis justus v. g. emptionis, donationis vel similis, ut dominium rei comparetur; ideo fur & usurarius defectu Tituli non habet Jus in re circa pecunias furto vel usura acquisitas. Tertiò demum requiritur *Traditio* quia Traditionibus & usucapionibus dominia rerum non nudis pactis transferuntur *l. 20. C. de pact.* adeoque  
Em-

Emptor, si res empta nondum sit illi tradita, non habet jus in Re; sed solum ad Rem. Licet vero regulariter, ut dixi, ad obtinendum jus in Re requiratur traditio, in aliquibus tamen casibus ex speciali Juris dispositione hæc non est necessaria, veluti primò in Beneficiis Ecclesiasticis, in quibus per solam collationem & acceptionem comparatur Jus in Re *c. si tibi absenti de Præb. in 6.* Secundò in hæreditate rerum, in quibus acquiritur Jus in Re per solam aditionem verbo vel scripto factam, *l. cum Hæredes ff. de acquir. poss. §. ult. Instit. de hæred. qual. & diff.* Tertiò in donationibus, venditionibus & similibus factis Civitatibus, Ecclesiis aliisque piis locis ob speciale privilegium, acquiritur Jus in Re ante traditionem *l. ult. C. de Sacro S. Eccles. Covarr. l. 2. resol. c. 19. n. 2.* Licet autem in dictis casibus dominium rei acquiratur ante apprehensionem, non tamen acquiritur ejusdem possessio, quia *possessio nisi naturaliter apprehensa sit, ad nos non pertinet. l. cum Hæredes ff. de acquir. poss.*

2. Jus ad Rem est facultas, quæ habetur ex aliquo Titulo ad actum futurum, vel rem debitam nondum obtentam; adeoque Jus ad Rem obligat, seu devincit directè non rem ipsam, sed per-

sonam

sonam qua talem in ratione agentis, ad aliquid nimirum tradendum seu præstandum vel ex contractu aut quasi contractu v. g. ex mutuo, venditione, vel ex delicto, aut q. delicto v. g. ex furto, ideoq; dicitur *Jus personale*. Quamvis ergo hoc jus respiciat etiam rem ut terminum mediatum remotum, proximè tamen respicit personam quàm talem eamque sibi immediatè devincit. Ex hoc jure oritur *Actio personalis*, quæ ita tendit in personam obligatam, ut contra alium rei possessorem institui non possit; Sic qui emit equum numerata pecunia, priusquam equus tradatur, non potest illum ab alio exigere, quam à venditore, & contra hunc solum actionem instituere personalem, licet equus vel furto vel venditione vel donatione ad alium pervenerit *l. pen. C. de act. & oblig. & §. omnium autem Instit. de actio.*

Hinc inferes. 1. Jus quod habemus adversus alios, ne nos in usu rerum nostrarum vi aut dolo impediunt non esse personale, tum quia nec provenit ex contractu vel q. nec ex delicto vel q. tum quia non est ad terminum aliquem positivum sed negativum, & consequitur ad Jus in Re, cum enim habeam jus in bonis meis & fama, habeo consequentem

quenter Jus, nequis in usu eorum me impediatur.

Inferes 2. Cur Dominus habeat jus reale in mancipium suum, Conductor vero personale in operarium. licet utrumque jus versetur circa personam immediate; Quia jus Domini respicit mancipium ut rem, quæ subest dispositioni Domini, ut possit vendi, huc illuc prohibitu transferri &c. Jus vero conductoris tendit in operarios, ut personas in ratione agentis ad præstandas nimirum operas, ad quas conducti sunt.

Inferes 3. Quod omnis actio oriatur ex obligatione aliqua, qua vel persona vel res aliqua nobis est obligata. Actio vero duobus modis accipitur, vel pro actu perquam petitur res ab alio debita, vel pro potentia seu jure agendi, & definitur: *Jus persequendi in judiciis, quod sibi debetur.* Instit. de actio.

3. Præter jus reale & personale datur quoque *Jus mixtum* sicuti dantur actiones mixtæ, quæ nec strictè reales sunt, nec strictè personales, sed de utrisque participant, ut patet ex *tot. lib. 10. ff.* & quatuor assignantur, quæ partim sunt in rem, partim in personam. Prima est: *Finium regundorum*, qua agitur de finibus prædiorum confusis iterum  
deter-

determinandis. Secunda : *Familia exerciscunda*, qua agitur inter cohæredes de dividendis rebus hæreditariis. Tertia : *Communi dividundo*, quæ datur illis inter quos est res communis, ut legatum, donum &c. dividatur, vel, quod præstandum est, præstetur. Quarta : *Ad exhibendum*, quale habet v. g. Titius adversus Cajum, apud quem putat probabiliter latere servum suum fugitivum, & agere potest, ut jubeatur Cajus exhibere hominem, quem detinet, ad cognoscendum, an sit servus fugitivus, nec ne. Hoc jus mixtum est, quia non est purè reale, cum non fundet immediatè actionem vindicationis, nec etiam est merè personale, cum detur hæc actio contra quemcumque ad quem servus pervenerit, adeoq; rei potius, quam personæ inhæret.

4. Jus in re aliud est perfectum, quod Dominium dici potest, aliud minus perfectum, quale Depositarius habet in depositum, Creditor in pignus, & usufructarius in rem, cujus usum habet. Dominium duplex est: Jurisdictionis & proprietatis. Dominium proprietatis definitur à Bartolo in *l. si quis vi §. differentia ff. de acquir. poss.* *Jus perfectè disponendi*

*di*

*di de re corporali nisi lege prohibeatur.*  
 Dicitur *Jus* id est, facultas seu potestas;  
*Perfekte* explicat plenitudinem Domini;  
*De re*, denotat jus proprietatis, nam  
 Jurisdictionis versatur directè circa per-  
 sonas; *Corporali*, indicat rerum incorpo-  
 raliū, ut sunt officia, servitutes, actio-  
 nes personales & similia, non haberi pro-  
 priè Dominium & possessionem, sed qua-  
 si Dominium & quasi possessionem. De-  
 mum verba: *Nisi lege prohibeatur*, de-  
 notant, quod per accidens, & non ex  
 defectu Domini aliquando fiat, ut quis  
 per legem vel pactum impediatur à per-  
 fecta dispositione vel usu rei; Sic pupil-  
 lus, qui licet perfectum habeat in sua bo-  
 na Dominium, *cum sit Dominus omnium.*  
*ad Gal. 4. v. 1.* Non potest tamen ob legis  
 prohibitionem illa abalienare. Et qui do-  
 mum emit cum pacto non vendendi, fit  
 Dominus domus, licet non possit de illa  
 disponere per venditionem, cum pa-  
 ctum per accidens conjunctum id vetet.

Dominium hoc proprietatis aliud est  
 perfectum & plenum, aliud imperfectum  
 & imminutum, idque dupliciter, vel  
 ex parte objecti, vel ex parte subjecti.  
 Perfectum ex parte objecti est, quod  
 complectitur rei proprietatem simul &  
 com.

commoda; Imperfectum ex parte objecti est, quod vel solam habet proprietatem rei sine commodis, & dicitur *Dominium directum*, ejusque Dominus *Proprietarius* seu *Dominus directus*; Vel solum habet usum & commoda, & dicitur *Dominium utile*, Dominus vero *Fructuarius*. Ex parte subjecti Dominium plenum est, si quis confortem Dominum mortalem non habeat, diminutum vero si talem agnoscere debeat.

5. Dominium Jurisdictionis est potestas gubernandi subditos ad eorum in primis utilitatem. Actus illius sunt præcipere, prohibere, punire, ferre leges, in iis dispensare, pronunciare sententiam, & definire quid jus postulet. Aliud est divinum & increatum, quod est absolutissimum, & omni ex parte perfectissimum; Aliud humanum sive creatum, quod dividitur in Ecclesiasticum & politicum seu temporale. *Illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis presidens ac diligentiam exhibens.* Utrumque dividitur in Imperium & simplicem Jurisdictionem. *Bart. in l. 1. & l. Imperium ff. de jurisd. om. Iud. Abbas in c. quod sedem de offic. ordin.* Imperium est jurisdictio, quæ nobili Judicis officio ex-

ercetur. Ubi per nomen Judicis intelligitur quæcunque publica potestas. Dicitur vero nobile Judicis officium, quod per se stat, & non est alligatum actioni; Judex enim motu proprio & ex officio, non adactus à partibus procedere potest ad delicta puniendâ, beneficia concedenda &c. *c. qualiter 17. de accus.* Simplex jurisdictio est, quæ exercetur Judicis officio mercenario. Dicitur officium mercenarium, quod deservit actioni merè civili, per quam nimirum pars litigans intendit consequi jus suum, seu *interesse proprium*, ut Legistæ loquuntur; Simplicis ergo jurisdictionis officium ideo mercenarium, & actioni deserviens dicitur, quia Judex motu proprio sive ex officio procedere non potest ad lites civiles, sed solum ad instantiam partium, iis enim desistentibus Judex quoque cessare debet, instantibus vero & judicium expetentibus sententiam etiam ferre tenetur.

6. Jam vero imperium dividitur in merum & mixtum. *Bart. & Abb. ll. cc.* *Merum est*, quod exercetur nobili Judicis officio publicam utilitatem respiciente; Actus illius sunt leges ferre, fontes plectere &c. Habetque diversos gradus, quorum primus est *Maximi imperii*, quo

quo spectat potestas bellum inferendi, universales leges condendi, Concilia vel Comitia generalia cogendi, cognoscendi de causis absque remedio appellationis; Item potestas monetam cudendi, vectigalia imponendi &c. quæ *Regalia* vocantur, quia propria sunt Regis seu supremi Principis. Secundus gradus est *majoris Imperii*, & est habere gladii potestatem in *facinorosos* l. *imperium* ff. de *jurisd. om. Ind.* Huc spectat potestas maximæ capitis diminutionis inferendæ, quod supplicii genus apud Romanos olim in usu fuit. l. 8. §. *est pœna* ff. de *pœn.* & mors quædam civilis habebatur, cum per hanc pœnam non solum jus civitatis, sed etiam libertatis amitteretur, & servi efficerentur, qua in metallum damnabantur & metallici dicebantur. l. 10. §. 1. l. 36. ff. de *pœn.* vel ad bestias, l. 6. ff. ad *leg. Juliam peculatus*. In Jure Canonico huc pertinet potestas Clericorum degradandi & brachio sæculari extradendi: Item excommunicandi non ad instantiam partis læsæ, sed motu proprio. *Mol. tract. 5, de Just. disp. 6.* Tertius gradus est *Imperii magni*, ad hoc spectat posse igni & aquæ interdicere, in exilium deportare, & dicitur hæc pœna media, seu minor capitis diminutio,

perquam Jus civitatis non libertas amittitur. *Instit. de cap. demin.* sed huic supplicii generi postea sublato successit deportatio in Insulam. *l. 3. ff. ad leg. Jul. peculatus. l. 2. §. 1. ff. de pæn.* Quartus gradus est *parvi Imperii*: quo spectat posse relegare, torturæ subijcere, in corpore acriter, sed citra mortem vel mutilationem punire. Quintus gradus est *imperii minoris*, quo pertinet modica cöercitio in corpore. Sextus gradus est *imperii minimi*, ad quod spectat posse exiguam mulctam pecuniariam imponere.

7. Mixtum imperium est, quod exercetur nobili Judicis officio privatum comödum spectante; Actus illius sunt: Dispensare in lege, & ætate, dare Privilegium, constituere tutores, restituere in integrü, contra facinorosum procedere ad alterius instantiam Judicis officium implorantis. Quemadmodum imperium merum, ita & mixtum in suos gradus distinguitur; Est enim unus gradus *maximi imperii* supremo Principi reservatus, v. g. illegimos vel jure infames integro statui, vel famæ restituere, revocare sententiam, quæ transivit in rem judicatam &c. Et sic per alios gradus supra relatos, qui inferioribus etiam potestatibus conveniunt, descendi potest. CA-